

05

A

325





I. N. 7.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
JUDÆORUM
TALMUDE,
QVAM,

AUSPICE JOVA,
In Inclÿta Leucoréa,
PRÆSIDE
M. AUGUSTO PFEIFFERO,

Lavvenburgo-Saxone,

*Placida συμφιλολογήτων συζητήσει
ἵσθι*

ECCARDUS STOCHFLET,

Christianiâ-Norvvegus.

*In Auditorio Minori ad diem XXX. Sept.
horis pomeridianis.*

VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. Johann. Haken,
ANNO M DC LXIII.

K. Prof. Sen

VIRIS

REVERENDISSIMO, MAGNIFICO, NOBILISSIMO, PL.
REVERENDIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, CLARISSIMIS, PRÆSTANTISSIMIS,

DN. HENNINGIO STOCHFLET,

Dioeceseos Christianiensis & Hammeranæ Episcopo
gravissimo,

DN. JOH. ECCARDI STOCHFLET,

Reip. Patriæ Coss. dignissimo,

DN. M. CHRISTIANO NICOLAI,

SS. Theol. in Gymn. Patrio Lectori celeberrimo,

DN. M. TRUGILLO NICOLAI, Præ-

posito Christianiensi gravissimo,

DN. PETRO GEORGII, Reip. Patriæ

Senatori meritissimo,

DN. CHRISTIANO STOCHFLET,

LL. Studiofo florentissimo,

DN. CHRISTOPHORO STOCHFLET, SS.

Theol. Stud. indefesso,

*Patronis, Promotoribus, Avunculis, Patruelibus,
& Evergetis aterna observantia
devenerandis*

SALUTEM ET FELICITATEM
PERENNANTEM.



05 A 325



I. N. D. N. J. C.

הקדמה

Quod olim apud *Athenaum* dixit *Callimachus* : *Magnus liber, magnum malum*, id, ut aliàs cum grano salis accipendum, de *Talmude Judaico* non injurià usurpari posset, cum & vastâ mole molestum & multis nugis refertum opus sit. Illud nos hâc vice aggredimur non à variis, quibus scateret, quis quilibet repurgaturi, citius quippe redivivus *Hercules* aliud *Augiæ* stabulum expurgaret; neque refutaturi, tum quod sic vasta volumina conscribenda forent, tum quod hoc nostrarum nec sit partium nec virium, qui nostro nos metiri modulo & intra præscriptos continere cancellos novimus; multò minus commendaturi, cum id nostri nec sit otii nec genii; sed breviter delineaturi: quod dum molimur gratiosam *Jehovæ* nostri *עֲשׂוּנוּ* devotis exoptamus suspiriis!

THESIS I.

Ordinur à NOMINE Talmudis & notamus ejus 1. *Etymologiam*. תלמוד à ת. ל. מ. ד. מ. deducitur & vi vocis doctrinam vel per metonymiam librum doctrinalem denotat. 2. *Homonymiam*. Vox n. Talmudis vel sumitur גמרא pro qualibet doctrinâ, ut in *Sanbedr* f. 106. c. 2. Non mortuus est Doëg, donec oblitus est תלמודו doctrinæ suæ: vel עמודים & apud *Judæos* אל' עֲשׂוּנוּ pro doctrina Judaica peculiari opere comprehensa, quæ acceptio est hujus loci: vel מעמדים pro Gemara altera Talmudis parte, ut in *Avoda Sara* c. 1. Semper dividat homo annos suos in tres partes, unam tribuat במקרא Scripturæ, alteram במשנה Mishnah & tertiam בתלמוד Talmudi i. e. Gemaræ. 3. *Synonymiam*. Dicitur n. Talmud quoq; ששהסדרים sex ordines, quia in sex partes distribuitur, עֲשׂוּנוּ. Vid. *Targum Cantic.* 1. 2. item תורה פה Lex oralis & sic legiscripta לתורה שבכתב contradistinguitur.

TH. 2. Vidimus Nomen. Succedit DEFINITIO, quam supeditat *Buxtorfius Bibl. Rabb.* p. 220. & breviorẽ *Dilherrus* & leff.

lect. l. i. c. 24. Nos sequentem subjicimus Talmudis descriptio-
nem: Talmud est liber doctrinalis Judæorum complectens omnem
eorum humanam & divinam scientiam, ex multorum sententiis à
quibusdam Rabbis congestus, ut esset Judæis norma religionis &
morum. Singula verò ex sequentibus patebunt.

TH. 3. Definitioni DIVISIONEM quoque Talmudis hic
nobis subjungere visum est. Duplex itaque primò est Talmud
בבלי BABYLONICUM וירושלמי HIEROSOLYMITANUM.
Hoc à R. Jochanan, qui per 80. annos Academia Hierosolymi-
tanæ Rector fuit, pro Judæis in terra Israelitica degentibus cõ-
farcinatum & anno æ. J. 3990. (qui est annus C. 230.) absolutum
est, ceu ex R. Abrahâmi ben Dior ספר קבלה & Davidis Gans
צמח דוד f. 44. videre est. Autor ille משניות sive Aphorismos
doctrinales legis oralis à R. Judâ jam ante collectos adauxit &
laborem suum Talmudis Hierosol. nomine insignivit (nonnul-
li etiam מערכה רבני תלמודא Talmud occidentalium dixe-
runt) Hoc tñ. Talmud ad hæc usq; tempora respectu Babylo-
nici minoris fuit usus & pretii, & hodieque paucorum manibus
teritur, tum quod in quorundam tantum Judæorum gratiam
cõscriptû sit, tum quòd non omnes constitutiones & decisiones
perfectè contineat, tum quod stylus sit obscurissimus & sensus
intricatissimus, ita ut non abs re huic R. Jochanan quis occi-
nat: *Si non vis intelligi, debes negligi.* Editum est in Italia & Po-
loniâ, unoque ferè constat volumine: Manuscriptum exemplar
Scaligeri, quod Academia Leydensi legavit, duobus magnis
voluminibus constare refert Buxtorfius *Bibl. Rabb. p. 425.* Gaudet
maxima ap. Judæos אֲשֶׁר יִשְׂרָאֵל: cum tamen à suis non adeò cu-
retur hic foetus, nec nobis obstetricantibus multùm innotes-
cet, sed in posterum de Babylónico cumprimis agemus.

TH. 4. BABYLONICUM Talmud alterum illum digni-
tate sua ferè oppressit. Dicitur ita, quod pro Judæis in Baby-
lonia aliisque peregrinis locis commorantibus conscriptum sit.
Et hoc per *Mischnam & Gemaram* sive Textum & Explicationem
dispositum est, ut semper præmittatur Mischna tanquam ex-
pressus juris textus & statim subjiciatur Gemara illum textum
fusiùs diducens, variasque sententias & absolutam decisionem
continens.

TH. 5

TH. 5. MISCHNA מִשְׁנָה s. מִתְנַחֲמֵי s. Ἐπιτομῆσι. e. *Legis repetitio* vel *lex secundaria*, ex Judæorum persuasione continet legem oralem Moysi primò in monte Sinai traditam, deinde à Sapienribus in certas theses vel Aphorismos relatum & à R. Jehuda collectam inque certam formam redactam. Et hæc communi omnium Judæorum calculo approbatur & recipitur.

TH. 6. GEMARA גְּמָרָה, Coccejo τειλεῖσις, Buxtorfio *Supplementum*, Gersoni ein vollkommen Werk vel eine Erweiterung Rabbinorum Disputationes & Mischnæ uberiorem explicationem complectitur. Mischna n. se instar textus explicandi habet & exponitur vel per BARAJTHA i. e. Exoticam traditionem sive extra scholam Hierosolytanam decisam sententiam; vel per TOSIPHTA sive appendicem, si Mischna sit confisor. Expositio verò illa habetur in Gemara, quæ aliquo modo *Postilla* dici possit, & continet Magistrorum abstrusissimas sententias & Seraphicas explicationes. Vid. *Halichot Olam*, liber facilem ad Talmudis cognitionem præbens *Χειραγωγία*, quem sub titulo *Clavis Talmudicæ* evulgavit L'Empereur, p. 17-18, 223. Gerson in *Chelec* vel *Talmudisch. Jüden-schaz Pref.* Buxtorf. *Lex. Talm.* p. 2611.

TH: 7. TOSEPHOT s. Hypomnemata s. Additamenta quædam sequioribus temporibus adjecta sunt Gemaræ ob quorundam dissensiones, licet Talmud A. C. 500. ceu omnibus numeris perfectum opo proclamatum sit. In illis Tosephot quædam Rabbinorum decreta ad Gemaræ illustrationem facientia continentur. Sed & in has Additiones progressu temporis פסקי תוספית s. *Decisiones additionum* adornatae fuerunt breviculis thesibus & nudis propositionibus comprehensæ. Vid. *Auth. cit.* Buxtorf. *Lex. Talm.* p. 564.

Th. 8. Integrum porrò Talmud hocce in sex sequentes dispefcitur Temos sive potius Classes, א. סרריים. i. זרעיים *ordo feminum*, agit de variis seminibus, homogeneis & heterogeneis, frugibus, arboribus, fructibus, herbis. 2. מיער *ordo festorum*, agit de Sabbatho aliisque solennitatibus. 3. נשיים *ordo mulierum*, de conjugio, repudio, officiis, affectibus & mor-

morbis mulierum &c. 4. נזיקין *ordo damnorum*, de damnis à bestiis vel hominibus illatis, juramentis, pœnis capitalibus & non capitalibus. 5. קרשים *ordo Sacrificiorum*, de sacrificiis, rebus Sacris, Templo Hierosolym. &c. 6. טהרות *ordo purificationum*, de purificatione vasorum, pollutione lepræ, cadaveris, gonorrhœæ, hæmorrhœæ, lotionè manuum, &c.

TH. 9. Partes porrò in LIBROS sive TRACTATUS מסכתות dispescuntur, quorum summa LXIII. & si addantur, quatuor, qui sequioribus temporibus accefferunt, LXVII. Horum recensioem cum adornârit Petrus Galatinus *de Arc. Cab. Ver. l. 1. c. 5.* & accuratioem Buxtorfius in *Bibl. Rabb.* nolimus nos hic Iliada scribere post Homerum vel falcem nostram in alienam messè mittere. Libri tn. ulterius in פרקים sive CAPITA dividuntur, quorum summa calculum subducente Buxtorfio DXXIV. (in supputatione v. eorundem nimium cœcetit Galatinus) Unum quodque caput ex primis plerumque vocibus appellationem sortitur, uti ex catalogo Buxtorfii *l. c. p. 252.* videre est. Singula denique capita dividuntur in משניות MISCHNAS s. certos aphorismos doctrinales. Sic E. G. Caput Thalmudicum *Chelec*, quod Christ: Gerson sub titulo *Thalmudischer Jüdenschatz* evulgavit, est undecimum ex libro *Sanhedrim*, qui quartus ex quarta parte *Nesekin*; & continet quatuor Aphorismos doctrinales, qui ulterius in certas materias à Judæis dividuntur.

THES. 10. Proximum jam est ut ad ipsas Talmuldis causas pedem promoveamus; ubi ejus CAUSAM EFFICIENTEM primò consideraturi sumus, eamque partim *דברי חכמים* sive *דברי רבנים*, qualis ex mente Judæorum fingitur, partim *דברי רבנים*, qualis ex rei veritate est. Si Judæis quidem credere velimus (ast certè hic non debemus) causâ efficiens principalis Talmuldis est ipse DEUS O. M. Ministerialis Moses. Hunc ajunt in monte Sinai una cum lege שבכתב *שבעת* *אֵלֶּיךָ* sive *scripta* etiam accepisse תורה *אֵלֶּיךָ* ore tenus in posteros propagandam. Nec n. putant necessarium fuisse, ut Moses propter solâ legem scriptam per 40. dies noctesque in monte commoraretur, cum unius horulæ spatio De-

usi-

us ipsi tabulas legis dare & eum deinde dimittere potuerit. Reliquo proinde temporis spatio Deus ipsi singulorum præceptorum causam, modum, fundamenta & verum sensum patefecit addito mandato, ut quemadmodum ipse ab ore ad os hæc ipsa accepisset, ita & oraliter propagaret. Proponunt hic etiam quæstionem subtilitatibus Scoti subtiliorem: Quomodo Moses potuerit diè à nocte discernere, cū gloria Domini semper circa ipsum fulgeret? Non opis est nostræ tantas componere lites. Felicius verò solvit quæstum R. Bechai in c. 34. Deut. quam olim Alexander Magnus nodum Gordium: *Quando, inquit, docebat eum Deus legem scriptam tunc agnoscebat diem advenisse, quando v. docebat legem oralem, noctem adesse sciebat. Quis melius respondisset, ac Bechai, qui solus est sapiens, reliqui volitant sicut umbrae!*

TH. II. ΟμοῦνφϞ Judæis in præsentī negotio est Pseud-Esdras sive Autor I. 4. Esd. Syncretista Judæo-Christianus, qui ita c. XIV. v. 5. 6. Et enarrans ei (Mosi) res multas admirabiles, ostendit ei temporum arcana & sinem. At præcepi ei dicens: hæc palam facies verba & hæc abscondes. Sed passim alibi etiam Scriptor ille rancidas Judæorum fabulas inculcat E. g. de Leviathā & Behemoth c. VI. 49. 53. de Tribuum Israëlitarum transportatione ultra fluvium & futuro eorū reditu c. XIII. 26 35. unde vel hoc nomine liber iste sordescere incipiet ejus commendatoribus Rosetrucianis & Chilianis, qui mira ex VI. & VII. præsertim capp. eliciunt mysteria, qua de re plura addere ad nos nil attinet. Vid. hic D. Waltherus, ὁ μακαρίτης, in commendatissimā Offic. Bibl. p. 1202. seq. & Robertus Sheringham, Anglus, Pref. versionis Cod. Joma.

TH. 12. Ergò Judæi, ut ad institutum nostrum redeamus, existimant legem illam oralem hodie in Talmude contentam, Mosi primitus in monte Sinai patefactam, deinde ejus successoribus & posteris de manu quasi in manum traditam atq; πειροῦ & δεδωτος propagatam, tandem verò, ne planè oblivioni traderetur & indies magis magisque desipientibus Judæis (quod ipsi non differunt) in nihilum redigeretur vel etiam soli memorie concrederetur, tam pretiosum κειμήλιον, à R. Juda mon-

pro eruditionis & sanctitatis in scriptum aliquod relatum esse, uti hæc omnia graphicè depingit R. Moses Kozenis *Pref. in* לְרִישׁוֹת הַתּוֹרָה citante Buxtorfio *Synag. Jud. p. m. 45. f. 109*

TH. 13. Hunc Judæorum factum nos conculcagino non alio fastu, quomodo *Diogenes Cynicus* referente *Laërtio l. 6.* conculcabat καταπαύει, Platonis, sed generoso contemptu. Progredimur verò ad ea enarranda, quæ de Talmudis authoribus veris comperta habemus. Primò autem de Talmudis confarcinatoribus dicemus. Alium authorem agnoscit *Mischna* de qua *th. 5.* alium Talmud Hierosolymitanum de quo *th. 3.* alios Talmudis Babylonici *gemara*, de qua *th. 6.* qui tñ. omnis rectius compilatores, confarcinatores vel collectores, quam authores dicuntur.

TH. 14. Certum ergò est Judæorum magistros legi varia glossemata assuisse, quæ sub legis oralis & traditionum titulo passim circumferebantur & venditabantur. In schedulis verò quibusdam & chartis tantummodò, non justis vel integris libris asservabantur. Quidam proinde *R. Jehuda* à vitæ integritate dictus הַקָּדוֹשׁ *sanctus* & à singulari עֲזוֹחָיו, qua inter Judæos gaudebat הַנְּשִׂיאַת הַדֵּבַר *Princeps* de lege orali conservanda perquam sollicitus omnium Judæorum sui temporis schedulas & chartas collegit, in quibus sibi quisque memoriæ sublevandæ causâ quædam consignaverat & inde librum compilavit quem סֵפֶר מִשְׁנֵיּוֹת *librum Mischnajoth* vocavit, isque omnium Judæorum calculo circa annum Christi 219. approbatus publicam accepit auctoritatem & irrefragabilem אֱזוֹרַת יְהוָה.

TH. 15. Ut verò dictum, metu oblivionis & ob decrescentem Judæorum sapientiam lex oralis scriptis commendanda videbatur. Non n. inanes hac de re extant querelæ. Ita ajunt in *Joma fol. 7.* טוֹבָה צִפְרִין שֶׁל רֵאשׁוֹנִים מִכְרֶסן שֶׁל אַחֲרוֹנִים *Melior est unguis priorum, quam venter posteriorum.* In Talmud Hierosolym. *Shekalim c. 5.* *Priores arârunt, seminârunt, runcârunt, succiderunt, sarri verunt, melsuerunt, manipularunt, triturârunt, ventilârunt, expurgârunt, moluerunt, cribra verunt, despuerunt, inciderunt & pinsuerunt; nobis a (recentioribus) non est os ad comedendum.* In *Schabbat f. 112.* *Si priores fuerunt*

filij

filii regum, nos sumus filii vulgarium hominum: & si veteres filii
vulgarium hominum, nos plane sumus instar asinorum. Concedi-
mus totum hoc Judæis & perplacet nobis ingenua confessio. Et
quod si jam tunc temporis instar asinorum fuerunt, annon ho-
die nostri verpuli erunt asini asinorum omnium stupidissi-
mi? Sed sunt ex iis, quæ meliore luto finxit præcordia Titian.

TH. 16. Post aliquot annos nim. A. C. 230. R. Jochanan
Talmud Hierosolymitanum compilavit, cum Mischnæ aliquid
deesse videretur. Non fuit iste Jochanan idem cum Rabban
Jochanan, Zaccalæ, Hillelis discipulo & Simeonis, qui Salva-
torem ulnis excepit, si doctis credimus, condiscipulo, qui de se
gloriatu fuit, si omnes cæli essent pergamenæ, & omnes arbores ca-
lami, & totum mare atramentum & omnes homines scriba, tamen non
sufficere ad scribendam omnem sapientiam, quam didicerit à Præ-
ceptoribus suis, quibus ex. non plus abstulerit quam canis lambrere de
mari, uti refertur in Massichta Sopherim c. 17. b. 8. Jalkut fol. 7. c. 1.
Schalschelet Hakk. f. 26. a.

TH. 17. Sed cum & Mischnæ concisæ essent & Talmud
Hierosol. paucorum manibus tereretur, mox alii periclitaturæ
legi orali subvenire & medicam admovere manu institue-
runt. Nam primò Discipulus R. Judæ nomine Ravnas quas-
dam collegit schedulas easque certa ratione digessit & appel-
lavit *Barajbam*, quod extraordinarias decisiones contineret,
ut Mischna ordinarias. Vid. Gerson *Thalmud* p. 202. Postmo-
dum *Raf Assè* Rector Synagægæ A. C. 367. & qui ipsi in Rectora-
tū successit A. 427. *Maremar* ejusque Collega *Mâr* collegerunt
rursus omnes omnium Doctorum chartas, qui ab excessu R. Ju-
dæ aliquid in Mischnam consignaverant & omnia deniq; sub
nomine *Gemara* q. d. *perfecti* & *absoluti operis* ediderunt. Atque
sic A. C. 500. demum ex Mischna & Gemara unum opus confe-
ctum & *Talmud Babylonicum* appellatum est. Hypomnematum
vero illorum, quorum in th. 7. mentionem fecimus & quæ non
pari pietatis affectu cum Talmud venerantur Judæi, auctores
תוספתא בערי vocari solent. Si quis hic plura scire aveat, a-
deat Davidis Ganz *Zemach Dav.* f. 48. *Gerl. Talm. P. 1* c. 28. *Bux-*
torf. Syn. Jud. c. 1.

TH. 18.

TH. 18. Sed, uti dictum, hi ipsi Talmud ex aliorum ferè doctorum sententiis & laboribus comportarunt. Ipsi v. doctores ex quorum laboribus & *וְשֵׁבִי* Cei laborem suum confecerunt còplures fuerūt, quorū recensio peti potest ex *Halichot Olam* p. 19. f. Distribuuntur verò in duas classes & sunt vel *מְדַבְּרֵי מִשְׁנָה* *Disputatores Mischnici*, vel *מְרַמְמְרֵי מִשְׁנָה* *Dispp. Gemarici*. Ex illorū thesibus, quas in schedulis reliquerāt, R. Juda collegit Mischnā: ex horum doctrina Mischnæ expositio desumpta est. Hos Scalliger *de Emend. Temporum* f. 614. vocat *γνομολόγης* & *Sophistas* Judæorum, illos nos *νομολόγης* & *Legistas* eorum appellare possemus. Alii post hosce *Tannaim* & *Amoraim* celebres & rerū Talmudicarū periti Judæorum doctores appellati sunt primò *מְרַמְמְרֵי מִשְׁנָה* *Opinista* & postea *מְדַבְּרֵי מִשְׁנָה* *Excellentes*. Vid. hic *Halich. Olam* p. 18. Fullerum *Misc. l. 4. c. 18.* Buxtorf. *Lex. Talm.* 125. 374. 1428. 2610.

TH. 19. Sic fuit causa Talmudis efficiens. Ut nostram pertexamus telam, ex Judæorum opinione interna ejus FORMA est ipsa legis oralis *ἑσποινωσία* & divinus sensus. Sed *ἄφραγξας* ἀντὶ ἡμετέρων arripiunt Judæi. Nos de forma Talmudis externa, quā illud certo idiomate in literas relatum & sub certa forma editum est, paucula subjungemus, cum plura adhuc dicenda restent.

TH. 20. *Mischna* itaque altera Talmudis pars Ebraica est, sed stylo constat admodum conciso & inde quoque obscuriusculo. Quondam illi puncta vocalia & accentus adscriptos, eamque secundum illos cantillatam fuisse, ut hodie Judæi legem decantant (sed voce tam *syavi*, ut feras abigant, non, ut Orpheus, alliciant) refert Buxtorfius *de Antiqu. Punct.* p. 78, 94, 360. Et quomodo hodieq; Judæi quaestiones & responsiones Talmudicas cantu recitent, lepido exemplo ostendit Gerson in *Jüdenschaft* Præf. c. fin.

THES. 21. Hodie autem *Mischna* sine punctis ferè conspicitur & sic quoque seorsim edita est à *Menasse ben Israhel*: (vidimus tn. & recens punctatam cujusdam editionem) cum adjunctis *Rambam* & *Obadia de Bartenora* commentariis Venetiis prodiit. Vid. Buxtorf. *Biblioth. Rabbin.* p. 381.

TH. 22. *Gemara* stylo fermè Chaldaico ex Ebræo tn. mixto

mixto contexta est. Stylus obscurissimus est tum ob peculiare dicendi genus, tum ob multa peregrina & barbara vocabula quibus interspersus est, qualiave collegit *David Cohen de Lara*, tum ob interruptam materierum coherentiã & operis *ἀνεγώδια*. Unde *Gerson in Talm. p. 207.* vocat Talmud eine grosse *Wüstenei* darinnen allerley wilde und ungeheure Thier wohnen. Ut in memoria quodammodo consuleretur, quãdam voces memoriales inter fertã sunt nonnunquam, quã ut in *Mnemosyno* *Calendarii Cifio Janus* vel in *Decr. Juris Canonici* versus: *Simon appellat spoliatus teste libello &c.* certarum rerum & materierum sunt indicia, unde & Talmudicis סימנים *σημεία* vocantur. E.g. *Sanhedr. c. Chelec. f. 106.* ראו וחצי קראו שלשה ראו וחצי קראו *Gerson. Drey haben gesehen und ein halber hat ihn genennet. Tres, sunt tres angeli de quibus aliquid subjicitur, ראו viderunt, nim. se invicem Doëg & Achitophel, ut in sequentibus exponitur, וחצי & medium, sc. vitã cursum illi duo non absolverunt, קראו vocavit eum, sc. David Achitophel, uti hæc deinde ordine declaratur. Sic *ib. f. 103.* על שרה לא תבואנה *Gerson: über den Acker werden seine Häuser zu dir kommen. Conf. Schickardus Beib. Happ. p. 136.**

TH. 23. Ob hanc obscuritatem nec non prolixitatem operis, integra ejus versio nondum elaborata est, qua utiq; unus hominis laborem superat & conatum frangit. Mischnã quidem translationem nonnulli inchoarunt, sed Gemaram prolixiorẽ Talmudis partem intactam fermẽ reliquerunt. Mischnã solam Tractatum *Bava Kama & Middot* notis illustratam edidit *Constantinus L' Empereur ab Opvvyk*; Mischnam codicis *Joma Robertus Sheringhamius Cantabrigiensis*; Mischnam codicum *Schabbar & Eruvin Pl. R. ev. Sebast. Schmidius SS. Th. D. & P. P. Argentoratensis*; Mischnam tractatum *Sanhedrin & Maccoth* cum Gemarã excerptis explicavit *Joh. Coch, Bremensis*. Unius capituli Talmudici *Chelec Mischnam & Gemaram* felicissimẽ reddidit sermone vernaculo *Christ. Gerson, Rehbuchanus*, conversus Judæus. *Pirke Avoth* edidit *Paulus Fagius, Exurgat* aliquando Atlas par huic ferundo oneri, ut sic detegatur mysterium iniquitatis & larva Apellis detrahatur.


TH. 24. Porro integrum Babylonicum Talmud aliquot magnis voluminibus non una vice editum est. Primo *Veneri-* ap. Bombergum Anno C. 1520. Deinde *Basilea* ap. Frobenium A. C. 1581. sed in hac editione jussu & autoritate Patrum Tridentini concilii per *Marc. Marinum* & *Petr. Cevallerium* excusa sunt ea, quae in Christum blasphemia videbantur. Restituta vero ea in editione *Cracoviensis* Anno. C. 1606. à Judæis adornata. Recentior est editio *Ambstelodamensis* Imman. Binbenisti, foliorum numeris prioribus respondens. Sed de his satis.


TH. 25 Progredimur ad Talmudis MATERIAM CIRCA QVAM sive OBJECTUM. Hoc est *πολυπύκλον*. Hinc si ad certum cognoscibile referatur, deprehendimus in Talmude tractari 1. & cumprimis THEOLOGICA, quorum specimen exhibuit *Christianus Gerson* in refutatione Talmudis Judaici. 2. JURIDICA; nam Talmud inter alia continet legum forensium Mosaicarum explicationem & diductionem. Praeprimis partem ejus IV. *Neskin* Pandectas Juris Judaici dicere possemus, ejus primum Tractatum *Bava Kama* vertit & cum jure civili consulit L' Empereur, seu ex rubricis praemissis facile patet. 3. MEDICA; Medici n. Judæorum pleriq; non ex fundamentis artis, sed ex Talmude sua medicamina praescribunt aegrotis & de morborum causis judicant. Paucula producemus in rei fidem. *Pesachin* f. 112. *Qui inclinat caput suum ad corticem palmae corripit eum dolor hemigraniae.* *Schabbat* f. 109. 2. *Quid est herba Gösfer? Pontok. Ad quid comedunt eam? pro vermibus hepatis.* *Ibid.* *Quem pupugit serpens, is sumat sterum asinae albae, eumq; dilaceret & morsu imponat.* *Berachot* f. 52. 2. *Nisi esset cauda scorpionis in fluvio D'nor, nullus eorum, qui à scorpione ictus sunt, vidus superesse posset.* *Gittin* f. 69. 2. *Lumbricis expellendis conducit quartale vitruum foliis lauri.* Alia mittimus. Cum v. ipsi Talmudistae dicant in *Kidduschin* f. 82 1. *Optimus medicorum meretur gehennam*, facile constabit, num consultum sit nostris Medicis praescribere eorum Medicastro. Vid. *Adm. Rev. D. D. Mülleri* *Judaism. p. 1436.* *Hörting. Thes. Phil. l. r. c. 1. f. 2. q. 4.* *Ludovici von Höring* tractatus: *Medicae* Apella. 4. PHILOSOPHICA; Possit aliquis, cui id per otium liceret ex Talmude

colli-

colligere Philosophiam, cum primis Physicam, sed Talmudicam i. e. in plerisque; absurdam. Ad antiquitatum in Judaicarum investigatione Talmud non contemnendam præstabit operam, uti post monèbitur.

TH. 26. Quod si objecti qualitatem spectemus & qua ratione circa illud Talmudis auctores versati sint, præter vera & utilia in Talmude deprehendemus *impia & blasphemæ, absurda & fabulosa, supersticiosa*, atque *frivola*. Ex singulis paucula producemus ut integrum cuivis sit cognoscere ex ungue leonem.

TH. 27. *Impia* nonnulla primò producemus. In *Berachot f. 6.* modus advocandi demones præscribitur. In *Sanhedrin f. 101.* conceditur incantare serpentes & quosdam demones super oleo vel ovis adjuratos (Gersoni: *Deisfürsten und Eyerfürsten*) interrogare. In *Schabbat. c. 5.* ad ultimum Davidis cum Batseba commissum excusatur. In *Bava Batra f. 36.* & alibi Christianos defraudare licitum esse dicitur. *Bona Christianorum* (nam hos  vocant) *sunt instar deserti vel sicut arena maris, qui primus occupaverit ea, illius erit.* Videm⁹, quo spiritu calescant Apellè.

TH. 28. *Blasphemæ* quædam subjungimus. In *Berachot f. 32.* DEUS dicitur causa omnium peccatorum. In *Cholin c. 3.* & *Schevuoth c. 2.* recensetur Lunæ expositio cum Deo, quod præ sole imminuta sit, & DEUS, cum eâ nulla ratione placare posset, tandè dixisse fertur: *Offerte sacrificiū propitiatorium pro me* () eò quod *lunam minorem feci.* Salvatorem nostrum convitiis proscindunt plusquàm diabolicis, quæ adducere antimus exhorrescit, sed jubet justus in Judæos Zelus. Dicitur de eo, quod idololatra fuerit & erectam statuam lapideam adoravit *Sanhedrin f. 107.* quod homines effascinavit & seduxerit *ibid.* quod se publicè prostituerit *Berachot f. 107.* quod ob scelera sua suspensus sit *Sanhedrin f. 43.* quod stultus fuerit *ibid.* quod ap. inferos in fervente excremento torqueatur *Gittin f. 57.* *Eruvin f. 22.* quod mater ejus fuerit adultera *Sanhedrin f. 67.* Inerepet te Dominus, ô Sathan! Vindicabit aliquando Jesus has blasphemias.

TH. 29. *Absurda* paucula ex innumeris subjicimus. In *Berachot f. 7.* Deus orare dicitur, & in *Avoda Sara f. 3.* per tres primas diei horas studiis invigilare. In *Berachot f. 59.* etiam plorare: *Quando Deus recordatur filiorum suorum, quod habitent in afflictione inter nationes mundi, demittit duas lachrymas in mare magnum, quarum sonitus auditur ab uno fine mundi ad alterum.* De demonibus in Talmude referente Buxtorffo *Lex. Talm.*

p. 2339. traditur: *Sex proprietates dicuntur de demonibus, in tribus similes sunt angelis & tribus assimilantur hominibus: Habent alas sicut angeli, & volant ab una extremitate mundi ad alteram sicut angeli & sciunt futura sicut angeli. Edunt & bibunt sicut homines, gignunt & multiplicant se sicut homines & moriuntur sicut homines.* Ex *Joma* f. 69. refert *Gerfon Talm.* p. 56. Daß die Rabbinen auff eine zeit den Teuffel gefangen hatten / und als sie ihm ein Haar auß seinen Haupte rissen / habe er einen Schrey gethan / welches man vierhundert Weiltweges gehöret habe / und nach dreyen Tagen haben sie ihm ein Auge verderbet und ihn lauffen lassen. Et in *Cholin* f. 5. dicitur, demones lubentissimè sub imbricibus (Dach-stinnen) recubare, requiescere, dormire.

TH. 30 Fabulosarū v. narrationū, quibus præcipuè historiā sacrā Talmudici corrumpunt & ejus sensū depravant, ex copiosissima messe quodam exhibemus spicilegium. Adamum post lapsum usq; ad 130. ætatis annum diabolos generasse narratur in *Eruvin* f. 18. eundem primitus androgynum creatum esse, antè marem & retrò fœminam, in *Keruvot* f. 8. Thefaurorum Korachi claves à 300. albis mulis ægrè tractas, claves v. & seras coriaceas sive pelliceas fuisse in *Pesachim* f. 119. *Sanhedrim* f. 110. Quomodo David aliquando in venatu pro serâ diabolum telo petierit & hinc in maximum sese conjecerit periculum, refertur *ibid.* f. 95. Quomodo ipse Dens Sennacheribum tondere voluerit, hic verò ingruente vespera jussus, ut primò ignem afferret, incautus sibi barbam ambussit ignem insufflando, *ibid.* Daniele ex AËgypto porcellos adduxisse, cum socii ejus in furnum conjicerentur, existimat R. Jochanan *ib.* f. 93. Cum primis verò absurdissimis delectantur hyperbolicis. De *Leviathan*, pisce stupendæ magnitudinis, qui dicitur quotidie pastu absumere aliq̃ piscem tria milliaria longum, vide *Bava Bathra* f. 74. Et f. 73. dicitur navis quædam celerrimè ivisse inter pinnam alicujus piscis unam atque alteram per triduum. De ave *Fuchne* scribitur in *Bechorot* f. 57. ipsi aliquando è nido (juxta alios inter volandum) ovum excidisse & 300. proceras codros prostravisse, elisum verò sexaginta pagos inundasse. In *Bava bathra* l. c. narratur Rabbinum navigantem in medio mari avem usq; ad genua in aquâ stantem vidisse, proinde secum navigantibus dixisse: Hic lavemur, aqua n. profunda non est. *Auditam* v. esse vocem è celo: Noli hoc facere, ante septennium n. cuidam hic securis manibus excidit, que nondum attigit fundum. Quod *ibid.* de rana, quæ magnitudine pagum Hagroniam exæquavit,

rit, narratur, recensere superfedemus. Quod tamen in *Niddac. 2.* refer-
tur, addimus, nim. Abba Schaul aliquando in itinere ossam tibiam O-
gi offendisse & in ea ultra tria miliaria peregrinatum fuisse. Oho! Sed
claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt. Recenset plures hujusmo-
di narrationes peculiari libello Helvici.

TH. 31. Non ignoramus autem recentiores quosdam Judæos talia al-
legoricè explicare & palliare velle; sed licet concedamus non omnia
feridè ab illis afferri, multa quoque iisdem affingi, tamè primos talium
fabularum authores eas non omnes improprie intellexisse existimamus,
nam 1. sapius אֲוֹרָא & certam relationem urgent. Sic Rabbino ille
qui corvum magnum viderat, subjicit: *Non credidissem, nisi ipse locum
vidissem. Bava Batra l. c. 2.* solent occurrere tacitis objectionibus & fabu-
las suas ab אֲוֹרָא vindicare. 3. fabulis suis nullum addunt אֲוֹרָא, quæ
& sæpe ita comparatæ sunt, ut nullum habere queant. 4. eas ex ip-
so SSæ textu probare eas allaborant quoad plerasq; circumstantias.

TH. 32. Superstitiosa quædam & magica ex Talmude recensere fe-
stinamus. In *Sanhedrin f. 94.* ex versione Gersonis dicitur: Rabina-
sprach/ drauß hören wir wenn einer erschrickt/ ob er schon nichts siehet/ so sie-
hers doch seyn Planet. Was ist aber für rath dazu? Er soll von seiner stete
springen vier schritt lang/ oder soll lesen/ Höre Israel &c. Stehet er aber
an einen unreinen Ort/ so soll er also sagen: die Geissen ins Weegers hauß
seynd fester als ich. In *Joma f. 84. 1.* *Quem momorderit canis lethaliter, que
curatio ejus? Respondit Abbai, afferat cutem basilisci masculi & scribat in ea:
Ego N. filius N. super pelle basilisci masculi scribo: Cante Cante Caliros (alij
pronunciabant Kande, Kande, Kaloros) Jah, Jah, Adonaj Zebaotb, Amen, A-
men, Sela.* In *Bava Batra f. 73* *Quando fluctus aliquis submersurus est na-
vem, conspiciuntur quædam quasi scintilla ignis albi in capite ejus. Eas si
percutiamus baculo cui inscriptum est, Ejbheb ascher ejbheb, jah, adonai Zeba-
otb, Amen Amen Sela, requiescet fluctus.* In *Avoda sanaf. 12.* certæ speciei
cœcitatatis mederi dicuntur sequentia verba in membrana scripta:
וִירָו/וִירָו/בְּרִירָו/בְּרִירָו/שְׁבִירָו.

TH. 33. Frivolas porro, febriculosas & aniles nugas si recensere
vellemus, dies nos deficeret. Perpendat, quæso, benevolus lector id,
quod dicitur in *Sanhedrin f. 105.* ex vers. Gersonis: *Quod dicitur in die
einen Augenblick. Wenn zürnet er 2 in den ersten dreym Stunden/wenn den
Namen der Kam weiß wird. Er wird ja auch alle Stundenweis? in den an-
dern Stunden behält er eisliche rotthe Striemen/aber umm dieser Zeit hat er
gar*

gar keinen Vortheil striemen. *λῆποι! λῆποι!* *ib. f. 99. R.* Hillel sprach / Israel
wird kein Messiam bekommen / denn sie haben ihn schon gefressen in den Ta-
gen des Hiskia. *Nugæ!* Hillelem tamen refutat alius R. Joseph *ib. & di-*
cit f. 98. Messias wird kommen / und ich werde würdig seyn zu sitzen in den
Schatten von seines Esels Mist. *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite*
capellæ.

TH. 34. FINIS Talmudis ab ejus authoribus intentus & ex sen-
tentia Judæorum satis feliciter obtentus est eorum informatio & con-
troversiarum circa religionem ortarum absoluta decisio. Cum tamen
frequentissima in Talmude sint Rabbinorum dissensiones, quaeritur cui
ex omnibus dent assensum? Tenendum itaq; primò Judæos nullum sim-
pliciter rejicere, nec omnia à Talmudistis cum veritatis fundamento
vel ex animi quoque sententia afferri, sed multa *σοχασμῶς* disputari, si
modo allatæ assertioni quocunque modo color aliquis induci queat.
Vid. Buxtorf. *de Antiq. Punct. p. 98-101.* Imò & si quid nonnunquam er-
ratum, id tamen Judæi pro sua modestia (nim. se mutuo boni muli sca-
bunt) nō dicunt *טעותא* *erratum*, sed *ברותא* i. e. *alienū vel extraneum*.

TH. 35. Cum v. certum sit eos omnibus simul astipulari non pos-
se, sciendum porro quosdam peculiarem habere *ἔξοχην* & penes hos esse
Halacham, ut loquuntur, i. e. horū sententiā esse cōmuni calculo dignā
& probatā. Vid. *Halich. Olam p. 227.* Sic R. Akiba vocatur *סתומתא* s.
authenticus. Solet etiam eorum nominibus, quorum sententiā præ a-
liis approbatur, circellus imponi, uti ostendunt Coccejus *Pref. ad Lect.*
in fine & Sheringhamius *l.c. Pref.*

TH. 36. Imò sapiusculè res sine decisione in medio relinquitur
quando, ut loquuntur, res manet *בתיקן* *in theca sua* Gerson: im *Suerer-*
fasi. Et hujusmodi dubia Elias aliquando soluturus est; quod tamen
credat Judæus Apella non ego. Conf. Buxtorf. *Lex. Talm. p. 93, 2588.* &
Abbrev. 210. Halich. Olam. 225. Possemus hæc omnia fufius exponere, sed
cogimur pleraque relinquere in theca sua, non tamen ad eorundem so-
lutionem Eliæ adventum præstolabimur.



Si hodie magnorum virorum neminibus aliquid inscribere solent, nomine non uno id facere deprehenduntur. Quidam enim sibi favorem eorum conciliare eosque ad benefaciendum allicere allaborant: alii favorem jam partum conservare & quodcumque gratitudinis *τελευτησιον* exhibere conantur: alii fidem & amicitiam suam subarrharc quasi & obteslerare volunt: ultimi denique contra adversarios refugium sibi quærunt. Dum ego impræsentiæ hanc ipsam Diatribam vestris nominibus, VIRI MAXIMI, consecrare volui quo nomine id præcipuè agere debeam, ambigo, cum omnibus me Vobis obstrictissimum esse sciam. Favorem vestrum commodiori occasione mihi hæcenus conciliare nequivi, licet eundem à Vobis non provocatis abundè sim expertus. Pro in numeris beneficiis, quibus me quamvis immerentem quàm cumulatissimè affecistis, nullum licuit reponere redhostimentum. De fide mea vos non dubitare licet persuasissimus sim, eandem tamen insigni aliquo documento Vobis hæcenus declarare non potui. Sum denique mihi meæ cõscius tenuitatis & scio laudabile esse magna moliri, laudabilius tamen magna tueri: moliri meum est, tueri non est meum. Ergò cum æqua judicii lance hæc causas per pondere, & quali libramine me movere videntur. Liceat itaque mihi hoc chartaceo & leviden si munusculo Vestrum obtinere favorem, quam si obtinero, plus obtinui, quàm sperassem. Licet reponere pro auro orichaleum i. e. pro magnis parva *αὐτὰ ποδέναι* Hoc enim qualecumque, quod ad pedes vestros depono ad Vestra tam præclara nulloque non tempore deprædicanda beneficia collatum, quasi musca comparet ad elephantum

tum

tum. Liceat quoq; hanc Diatriben pro quodam fidei meæ & observantiæ obfide & arrhabone transmittere, cum non possim impræsens aliud, quàm tenellum hunc ingenii mei foetum, quætu nescio an obstetricante Minerva ediderim, spero tamen. Liceat quoq; vos invocare ut Tutelares DEOS, & Patronos contra insultus adversariorum, quorum fretus favore hoc quicquid est publicæ luci & omnium oculis exponere ausus sui. Multum est fateor quod volo, plus quod debeo, parum quod possum, nihil ferè quod facio. Cum enim omnis ex cutio vires, experior, quàm sit mihi curta suppellex. Ergo me totum meaq; studia hic publicè vestris devoveo obsequiis. Utur ergò hoc ἀσκημα, quod volo, non possit præstare, potest tamen significare, & cum non detur sufficiens ἀλλυτρον, sufficiat præsens infucati affectus symbolum. Quicquid sit, in coelo sum, si, quod volo & spero, obtinero. Interea vos Deus Opt. Max. diutissimè Ecclesiæ, Reipublicæ & Scholæ commodo in hisce terris superstites diurnare & perennare velit, id quo d calidissimis exoptat suspiriis

Vestrorum maximorum nominum

Devotissimus cultor

ECCARDUS STOCHFLET, SS.
Theol. & Philos. Stud.

Ad Dn. Resp.

Talmud, quod quondam rabidus commentus Apella,
Nunc, proh! quàm latè credula corda trahit!
Sic ruit ad nugas vana & deliria mentis,
Qui leviter curat verba sacra DE I.
Derogis hoc ipsum, pudefit Judæus Apella,
Ast te Norwegi perpetè laudè vehent.

Abraham Calovius D.

STOCKFLETE *perge, perge quam teris viam;*
Honoris hac ad sulmen adducit sacrum,
Et pariter infert expedita. Haud pauca sunt,
Sed complicanda ver sibus paucis tamen,
Judaa grandi Thalmudaeo corpore
Qua differit gens, digna lectu & clesydra.
Sed illa magna & fracta nunquam, qua celer
Grassaris omne literarum per genus,
Alacritas, quid ipsa magna & ardua
Non pariat usq; laudis atq; gloria?

Convictori amicissimo suo Lmg. f.

Johannes Ericus Offermannus P. P.

Nondum polita, nec satis perfecta lex,
 Divina qualem condidit primùm manus,
 Vivis volebat explicari vocibus
 Olim, vetusta donec annotatio
 Patrum, Magistri sanctioris providã
 Collecta curã, maximum compleverat
 Opus; quod auro, quodq; divitis India
 Præstantius gemmis, & ipso sanctius
 Codice sacro, cunctisq; scriptis superius.
 His scilicet se jactat *excacata gens*
 Nugis, tot in DEUM evomens blasphemias
 Quas differendo publicè dum detegis,
Convictor optime, publico Te præmio
 Nostris in oris ritè, maclandum innuis.

M. Michael Waltherus
 Fac. Philos. Adjunct.

ECCARDUS STOCFLOET NORWEGUS

άναρχαυπανισθεϊς

URGEOECOS: CLR. FALSO STUDENT?

Sic urge cæcos (omnis mihi cæcus Apella)

Flectere cur falso scripta sacrata student?

Tumultuaria venã sed prolixo affectu

aMICO, gratVLarI DebVlt
 PRÆSES.

Tempora labuntur, nec fas inhibere juventam
Irremeabilibus quin volet acta rotis.
Hinc tu Stochfloeti studiis ita sedulus instas,
Et cautus vacuos non sinis ire dies:
Urge opus, & Phœbi lustrare sacraria perge,
Sic cinget doctum magnus Apollo caput.

*Paucâ hac prolixiori affectu
scr.*

Henningus Jürgensz Hoff.

Æqualis merces semper solet esse labori,
Qualta quis sevit, talia jure metit,
Hinc & Pierios flos nobilis inter alumnos
Et quondam Norici non leve nomen agri:
Quem Clarios adeo juver gustasse liquores
Infimal & doctis se poluisse libris,
Præmia tanta tibi, modo fortis perge manebunt,
Quanta nec Alcides, nec tulit Hector ovans.

ita gratulabundus suo vovet

Christianus Fridericus Jürgensz LL. St.

Quod DEUS, indutus nostra velamine carnis
Venerit in mundum; res mihi mira quidem;
Res mage mira tamen mortalem credere verbo:
Ceu Judæorum secta profana negat.
Quorum Talmudem dum Tu, *Stochflete*, refutas,
Conatus tollent nomen ad astra tuum,
Pergito sic studiis: magnos tibi grator honores
Quos animi dotes promeruere tui!

*Hiscæ pauculis, Dn. Respondenti commensati
&c Amico suo dilectissimo applaudebat;
Johannes Cramer Magdeb,*

05 A 325

ULB Halle


3

004 209 664



UNA





I. N. 7.
DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
JUDÆORUM
TALMUDE,
QVAM,
AUSPICE JOVA,
In Inclÿta Leucorëa,
PRÆSIDE
M. AUGUSTO PFEIFFERO,
Lavvenburgo-Saxone,
Placida συμφιλολογικῶν συζητήσεω
βηθίη
ECCARDUS STOCHFLET,
Christianiâ-Norvvegus.
In Auditorio Minori ad diem XXX. Sept.
horis pomeridianis.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. Johann. Haken,
ANNO M DC LXIII.

H. Prof. Sen